

A Obsidentibus Gallis Capitolium, cum de nocte illud occupare vellent, ascendentes per locum præruptum, ut nullus homo eos nec canis scelerit: sacri Anferes ad eodem Junonis cursu & clangore delati ad Romanos, omnes excitaverunt: eaque ratione effecerunt, ut Galli non tantum à Capitolio, sed & ex ipsa urbe fuerint prostrigati. *Plutarch. in Camillo.*
L. Fur. Camillo, & Appio Cl. Crasso Coss. cum Galli ex Albana arce Romanos infestarent, & unus Gallorum ex Romanis aliquem alta voce provocaret, M. Valerius Corvinus adolescens, corvi auxilio, capiti suo insidentis, & alis, & rostro hostem infestantis, Gallum ex provocacione interemit. Sabell. lib. 3. Enn. 5. ex Gellii lib. 9. cap. 11.

APES, INSECTA.

Imo Henrici Imp. Dux, obfessus à Gilleberro Lotharingæ duce, irruentes equites objectis alvearibus apum inhibuit: quarum aculeis in furorem versi equi, fessores vel excussere, vel ad pugnam inuiles reddidere. *Vitiobond. lib. 2. gestor. Saxo.*

Ann. Salut. 1513. auspiciis Emmanuels Lusitanæ Regis, Lupus Barriga in Mauritanæ oppidum Xiaticense, quod appellant Tanli, impetum fecit. Hostes cum se in ultimum discrimen adductos cernerent, alvearia apum innumerabilia, quibus abundabant, incensa è mœnibus demiserunt. Lusitani, & alvearium flammis ambusti, & apum aculeis stimulari, oppugnationem deserere coacti sunt. Multi etiam vulnera ab hostibus accepere, ne apibus tantum ea propugnatio ascribi posset: ipseque Barriga graviter vulneratus abscessit. *Ofor. lib. 8. rer. Em.*

Quam Amurates Turcarum Rex Alban Græcam oppugnaret, Oppidani, præter alia, etiam apum examina in Turcas misere. *Bosfin. lib. 4. Dec. 3.*

Axioma.

DEFINITIO, ET VOCIS USURPATIO.

Axiomata dicuntur à Dialecticis, disciplinarum principia, & propositiones, quæ simul ac mente concipiuntur, fidem sui faciunt: nec requirunt ad sui intelligentiam, ulteriorem aliquam expositionem. Talia sunt autem pleraque communia: alia verò cujusque Disciplinæ propria. Valde momenti, & in argumentatione negari nunquã possunt, dum medium adducuntur, tanquam ea quæ sunt indubitata veritatis. Hinc apud Philosophos usurpatur, non esse contra negantem principia disputandum, sed sustibus agendum.

Exempla eorum sint pauca hæc:

Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

Causa est prior, & notior suo effectu.

Cuiusque convenit definitio, convenit & definitum.

Totum est majus sua parte.

Difcentem oportet credere.

Quod est causa cause, est etiam causa causati.

Primum in unoquoque genere, est mensura cæterorum. Analogum per se positum stat pro famosiore significato. Et plura his similia.

USURPATIO.

Cæterum usus obtinuit, ut etiam Axiomata vocentur Regula illæ, quæ velut normam præbent benè beateque vivendi, & secundum quarum præscripta, qui cæteris prudentiores haberi volunt, actionum suarum studia conatus dirigunt. Ita nuper in lucem emisse sunt Regula quædam Politicæ, & Oeconomicæ per Greg. Richterum, quas Axiomata appellat: quod sit velut vivendi quædam principia, & norma.

DIVISIO.

Arist. in lib. Posteriorum dividit Principium in Positionem, & Dignitatem. Vocat Positionem, principium indemonstrabile, quod non est necessarium habere eum, qui scientiam aliquam discere incipit. Cum enim sit principium proprium illius scientiæ, debet in ea addisci.

Dignitas, est principium immediatum, quod necesse est omnem illum habere, qui discere aliquid parat. Quippè tantum sunt evidentia, ut intellectus terminis intelligantur. Et vocantur principia communia, cum priora illa dicantur propria. Ita communia principia sunt pleraque eorum quæ

in initio adducta, Quare etiam illad, Quodlibet est aut E non est.

Propria sunt alicujus particularis scientiæ, ut verbi gratia Physicæ: Omne comiatum ex elementis, est corruptibile, &c.

Positionem subdividit *Aristoteles* in Suppositionem, & Definitionem: De quibus videatur ipse loco allegato, cap. 2. lib. 1. Posterior.

* Azyma.

Azymorum insitium. Festa. Vfus. Significatio.

AZYMA QUID?

AZyma vocantur Panes sine fermento, *Cypri* namque fermentum est: quod dicitur ex eo, quod fervendo crescat. Nam panis azymus statim coquitur, cum in fermentato oporteat digestionem expectare ipsius fermenti. Hinc *Abraham*, & *Loth. Gen. 18. & 19.* ac *Gedeon Judic. 6.* Angelis obtulerunt panes azymos.

PRÆCEPTUM.

Hebræos educturus per *Moysem Deus ex Ægypti servitute*, iussit inter alias ceremonias, quas iidem præscriperat servari quotannis, ut post manducatum Agnum Paschalem, septem diebus comederet azyma, idque tanta districtione, ut quicumque comesset fermentum, periret anima illa de Israel. Ut videre est *cap. 12. Exod.*

Voluit autem *Deus*, ut quotannis id observarent, in memoriam primi illius Paschæ, quando egressi erant de Ægypto, & azymorum, que tunc secum inde tulerant. Cum enim subito egredierentur, ita ut panis pro tanta multitudine fermentari non posset, præ festinatione paraverunt panem ad coquendum panem, cogentibus Ægyptiis eos egressi, propter eadem primogenitorum. Tradit autem *Ioseph. lib. 2.* Hebræos ex Ægypto exeuntes per dies 30. comessisse azyma, tandiu enim eorum panem, quam tulerant, durasse. Unde ex ea in *Sochoth*, & deinceps coxerunt panes subcineritios, donec ea deficiente, *Deus* illis manna de celo pluit. Videatur *cap. 33. Numer.*

TROPOLOGICA SIGNIFICATIO PRÆCEPTI.

Dicit *Theodoretus*, præcepto illo comedendi azyma, non tantum significatam fuisse proficiendi diligentiam, & cibi parandi facilitatem, sed etiam quod nullum Ægypticæ conversationis vestigium servare deberent. Sic enim Dominus fermentum interpretatur, cum dixit discipulis suis, caverent a fermento Phariseorum, & Scribarum. Et *Paulus* vult, nos epulari in azymis incertitatis, & veritatis, non in fermento nequitiae, & malitiae.

DIES, SIVE FESTUM AZYMORUM.

Dies Azymorum, qui quotannis celebrari præcipiebantur, post primam illam Phasæ celebrationem; erant numero septem: quorum primus inchoabatur à die 15. mensis primi, sive à vespere die 14. Incipiebant enim cum Paschate. Unde quia vespere Paschatis poterat referri ad diem 14. cujus erat finis, vel ad 15. cujus erat initium, hinc auctores variant in assignando primo die azymorum: nam *Exod. 12.* dicitur esse 14. & *Levit. 23.* nominantur dies 15. Dies autem illi azymorum erant festi, & solemnes. In singulis enim offerrebantur sacrificia, ut constat *Numer. cap. 28.* Verum primus, & ultimus reliquis erant celebrioris. Ita dicitur *Exod. 12.* Prima dies erit sancta, & solemnis (propter solemniam & publica sacrificia: neque enim licebat in illa quidquam operis facere) & dies septima eadem festivitate venerabilis.

EUCCHARISTIA AN INSTITUTA DIE AZYMORUM?

Christus Dominus legis observantissimus, manducaturus Pascha cum Discipulis, Eucharistiam instituit post cenam Agni legalis, in qua incipiebant dies azymorum, quæ ad septem dies durabant. Unde colligitur, instituisse in pane azymorum, & bene facere Ecclesiam Laicam, præscribendo Sacerdotibus suis, ut ad exemplum Institutoris, etiam in pane azymorum Eucharistiam celebrarent, & confectent. Prolixior de hac disputatio desumi poterit ex *Contrav. Rob. Bellarmini.* Item ex *comment. Soares in 3. part. de Sacram. Eucharistia.*

Finis Litteræ A.



THEATRUM
 VITÆ HUMANÆ,
 AUCTORE
 LAURENTIO BEYERLINCK,
 ARCHIPRESBYTERO ANTVERPIENSI,
 Littera B.

* Asterisci Titulis, sive Generalibus, sive Secundariis, Rebus sive sub
 isdem contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt indices.

* B. Littera.



LITTERARUM characteres apud Ægyptios, diximus initio hujus operis, fuisse animalium effigies plerumque, ut observavit *Joan. Pierius* in *Hieroglyphicis*, & existimat, B Litteram efformatam per membrum aliquod ovis, propter similitudinem vocis cum hac littera, ut quam oves proferant articulatim, & ciant Cratinum *Strabonem* Erymologicæ, & ciant Cratinum *Strabonem* Erymologicæ, & ciant Cratinum *Strabonem* Erymologicæ.
O. P. B. id est: domus opobatorum, Et sit non opobatorum.
Stolidus tanquam pecus, Be Be dicens ambulat.
Joan. Pierius lib. 47. Hieroglyph. cap. 28.

* Babylonia, Babylon. BABEL TURRIS. BABYLONII.

TRes urbis Babel conditores apud Scriptores traduntur, qui tamè omnes accipiendi non sunt, quasi eam à primis fundamentis excitasset, sed quod cum minus ampla esset, eam exornaverint, aut dirutam restauraverint. Primus autem Babyloniensis conditor, & auctor fuit *Nemroth*, qui & *Belus* pater *Nini*, quem *Gentiles* *Jovem* appellarunt, & coluerunt, fuitque primus Idololatriæ auctor. Unde & *Bel, Baal, Baalim*, & *Belus* dictus est. Fuit autem, ait Scriptura, principum regni ejus *Babylon*. Et apud *Eusebium* *Alphens* narrat, cum terra *Babyloniensis* propter crebras *Euphratis* inundationes recta esset aquis, primum omnium *Belus* aquas siccaste, & urbem moliri aggressum. Græcorum porro omnium, & Latinorum sententia, *Semiramis* *Nini* uxor hujus Civitatis fundatrix habetur, ut prodidit *Herod. lib. 1.* *Strabo lib. 16.* & alii citati à *Pererio* in *Genes. lib. 15. disp. 5. num. 70.* Hinc & in *Metamorph. Ovidius*:

— ubi dicitur ait om
Cætilibus muris cinxisset Semiramis urbem.
 Sed intelligenda est, eam dumtaxat urbem jam vastatam inundationibus novo muro coctili exornasse ac munivisse. Quin mortua *Semiramide*, qui secuti sunt Reges *Babyloniorum*, ea relicta, *Ninivem* incoluerunt, eamque fecerunt *L. B. Theatr. vitæ Humanæ. Tom. 1.*

caput Regni, & Imperii *Assyriorum*, ut narrat *Diodorus* hinc *Regib.* deserta *Babylon*, & ab hostibus vastata, & ignobilis fuit. Donec eam, post eversam *Ninivem*, reedificavit, & de integro restauravit *Nabuchodonosor*, & sedem Imperii ibidem constituit. Unde & apud *Danielem* inducitur legentis: Nonne hæc est *Babylon* civitas magna, qua ego edificavi in domum regni? *cap. 4.* Ab hac integra Regio appellata est *Babylonia*.

URBIS SITUS, DESCRIPTIO, ET SPLENDOR.
Babylonem *Jul. Solinus* hoc modo describit. *Chaldecæ* gentis caput *Babylon* est, à *Semiramide* condita, ram nobilis, ut propter eam & *Assyrii*, & *Mesopotamii* in *Babylonia* nomen tranferunt. Urbs est sexaginta milia passuum circum patens, muris circumdata, quorum altitudo ducentos pedes detinet, latitudo quinquaginta: in singulos pedes ternis digitis ultra quam mensura nostra ex altioribus. Hæc ille. *Strab. lib. 16.* sic de ea habet: *Babylon* in campo jacet, muri ambitum habet 385. stadiorum, ejus crassitudinem pedum 32. altitudinem inter turres cubitorum quinquagenum, turrium ipsarum sexagenum, viam super mœnibus tam latam, ut quadrigæ occurrentes facile pertransire possint. Unde & hoc ex septem spectaculis orbis unum dicitur: ita *Strabo*. Cum igitur urbs illa fuisset muris celeberrima, iterumque gestarum gloria florentissima, nomine *Urbis* murata per antonomasiam intelligitur.

Ezechiel eam appellat urbem negotiatorum, *Hebraicè* *Rochin* è radice *Racal*, quod est negotiari & vendere, propter illius celebritatem, & potentiam. Cumque haberet commoditatem variorum fluminum, ex omnibus mundi partibus eò confluebant negotiatores, eratque ea tempestate unicum orbis emporium.

Porro ad latitudinem murorum facit, quod habet *Properius* lib. 3. eleg. 10.
 Et duo in adversum missi per mœnia currus,
 Ne possent tallo stringere ab axe latus.
 Ad urbis quoque magnificentiam facit versus sequens,
 Duxit & *Euphratem* medium, qua condidit arces.
 Significat enim, urbe media *Euphratem* deduxisse. Quod ad firmum spectat, in Scriptura aliquando respectu *Judææ* Orientalis dicitur, aliquando *Aquilonaris*: quia ad *Euroaquilonem* posita est.

A INTERITUS ET DESOLATIO.

Capta fuit Babylon à Dario Medo, & Cyro Petra, ut Dario indicat, & latè profequitur Xenoph. Cyroped. Joseph. lib. 10. antiq. & Herod. lib. 1. Atque hæc fuit captivitas illa, quam Iaias, Jeremias, Ezechiel, alique tanto verborum apparatu prædixerunt, ut penè videri possint eam longè supra verum exullisse. Neque enim tanta videretur fuisse illius ruina, quantum illa Iaiæ verba significant: Erit Babylon illa gloriosa in Regnis, indita superbia Chaldaorum, sicut subvertit Dominus Sodomam, & Gomorrhiam: non habitabitur usque in finem, & non fundabitur, &c. Nam sub Dario Hyrtaspis, qui tertius à Cyro regnavit, iterum florissimam potentissimamque fuisse, ex eo colligitur, quòd non nisi irragemare Zopyri capi potuerit: uti scribunt Iustin. lib. 5. & Herod. lib. 3. Stetit deinceps adhuc in magno flore Alexandri Magni, & Darii temporibus, ut ex Diod. lib. 17. & omnibus illis qui expeditiones Alexandri latius sunt profecti, præsertim ex Plutarcho, Iustino, Curtio, Artiano patre: qui Alexandrum illic ejusque exercitum voluptatibus emaculatum scribunt.

Paulo post Alexandrum regnavit in Syria Seleucus Nicanor, qui initio statim regni Babyloniæ rursum expugnavit, ut docent Joseph. lib. 12. antiq. cap. 1. Iustin. lib. 5. & Appian. in Syriacis. Atque post hæc tempora Babylon cœpit deficere, usque dum tandem omninò desolata mansit: & sic paulatim ventum est ad plenam Prophetarum executionem. Nam Seleucus edificata de nomine suo Seleucia, quæ trecentis stadiis Babylone aberat, ad præterlabentem Tygri, omne studium contulit, ut hanc exornaret, ait Strabo lib. 16. similiter & posteri omnes: & nunc Babylone magnitudine antecessit, quæ magna ex parte deserta jacet. Et Plin. lib. 6. cap. 26. Babylone Chaldaicorum gentium caput, dicit summam claritudinem obtinuit in toto orbe cætero, nunc in solitudinem rediit, exhausta vicinitate Seleucia ob id condita à Nicanore, Sic ille.

Paulanias, qui vixit tempore Adriani Imperatoris, cum eam omnium urbium, quas ille videt, maximam fuisse dixisset, subdit, suo tempore nihil superfluum præter muros, Ita ut de ea ex Strabone dicat B. Hieron. in Epist. ad Iovin. c. 23. Magna urbs, magna solitudo.

Et quamvis plerique velint Babylone non everfam à Dario aut Cyro, sed crudelissimè dumtaxat expugnatam, imò civitatem Bagadat, vel Baldach dictam fuisse, postquam, ut Greci Annales habent, anno Heraclii 30. ab Humar Rege Saracenorum occupata fuit: omninò tamen probable est, & conforme Prophetarum vaticiniis, antiquam illam Babylone penitus fuisse subversam: Eam verò quæ hodie Baldach, vel Bagadat à Turcis vocatur, non esse eandem cum antiqua Babylone, sed ex ruinis ejusdem coaluisse: Joannes Cornicus, qui totam Syriam nuper peragravit, post Abrahamum Ortelium satis nervosè affirmat in suo Itinerario.

RESTAURATIO.

Babylone mundo jam senescente, & ad extremum occasum vergente, restaurandam convincunt illa Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ asserunt Antichristum in Babylone nasciturum, atque ibidem imperii sedem regni que sui Metropolitim collocaturum. Ita Interpretes ad caput decimum tertium Apocalypsis, & cap. 11. Danielis, ac nominatim Hieronymus ad cap. 5. Zachariæ: quamvis communis doctrina sit, eundem præcipuè Hierosolymæ regnaturum. Quod solet confirmari ex illo Apostoli 2. ad Thessal. 2. ubi dicitur, in templo Dei sedurus, seque ostenturus, tanquam si esset Deus. Vide locum de Antichristo.

TURRES BABYLONICÆ AUCTOR, CAUSA, MOLES. Etiam Nemrod auctor, & instigatorem turris illius memorabilis esse, quam Babel vocamus, nemini dubium esse debet. De illius autem edificatione dicitur Moyses c. 11. Gen. scribit, omnes homines, qui tunc erant super terram, (ita communiter interpretes) convenisse in campum Senaar, & ibi habitasse, ac fuisse omnes unius lingue, & eorundem sermonum. Dixerunt autem, Venite faciamus lateres, & coquam eos igni, &c. Incessit eos homines ambiciosa cupido aggrediendi opus famosum, hoc est civitatem, & turrim, cujus culmen ad caelum pertingat. Illius autem inventor, ut dictum est, erat Nemrod, nepos Cham filii Noe, qui cum esset superbus & audax, paulatim apud

omnes se venditabat pro Deo. Unde & isdem auctor fuit edificandæ turris, ut narrat Joseph. lib. 1. Antiquit. & August. lib. 16. de Civit. cap. 4.

Molem turris varii variè describunt: Josephus dicit, eam cogitasse de edificanda turri, quæ altior esset, quam fuissent aquæ diluvii, hoc est, ad quinque penè millia altitudinis, nam & montes altissimi, quos ad 15. cubitos aquæ diluvii superasse dicuntur, excedunt quatuor millia.

D. Hieronymus narrat sibi retelatum ab is qui eam turrim viderant, eam per circuitum habuisse quadraginta octoginta stadia, ut etiam tradit Herodorus, & in altitudine 4000. passuum: verum ut eadem incredibilia censeat Hieronymus, ita & nos, lib. 5. Comment. in Isaiam.

Ceterum neque ex S. Litteris, neque ex auctoribus probatis constat, ad quam altitudinem ea turris fuerit excitata, antequam opus impeditur per confusionem linguarum, à qua & Babel vocata est terra illa. Quamvis hoc ex Herodoto, Theodoro, & Hieronymo colligatur, usque ad ea tempora monumentum illius molis superfluisse. Videatur Herodot. lib. 1. Diod. lib. 3. cap. 2. Theod. qu. 58. in Genef.

BABYLONIORUM REGES; & locum de Magistratu chronologicè considerato.

JUDEORUM IN BABYLONE CAPTIVITAS. Vide locum de Iudeis.

BABYLON CUR MUNDI TYPUS.

Et Scripturæ sanctæ, & Patrum testimonium docent, Babylone typum sive figuram gerere Mundi: & captivitatem filiorum Israël adspiciantur ad liberationem, & deprecandam cum desiderio splendorem, & omnia magna, quæ Hierosolymæ Patribus eorum illucque venerant, adombrare detentionem sive incolarum nostrum in hoc mundo, quem prolongari cum Davide iusti queruntur: ut videre est apud interpretes Psalmi 136. quem David in persona filiorum Israël adhuc Babylonicis vinculis detentionem cecinit. Siquidem Babylon erymo nominis sui confusionem importat, teste Scriptura, quia ibi confusum est labium universæ terræ, Gen. 11. vers. 7. 8. & 9. Confusit enim Deus linguas adificantium turrim illam, ut qui loque audire non possent vocem proximi sui. Ita & in mundo confusio est vitiorum. Quidquid enim in mundo est, aut est concupiscentia oculorum, ut notavit S. Ioan. in sua Canon, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ. Fluvius Babylonicus inter alios plures, de quibus David supra, est Cobar, cuius meminit Ezech. cap. 1. & 43. & interpretatur pondus, iuxta S. Hieron. in Ezech. estque symbolum peccati, quod sicut onus grave premit se habentem, & nihilominus instat fluvii transit illius appetitus, & voluptas. Præterit figura huius mundi, ait D. Paulus. Idcirco veluti super flumina Babylonicis Israelitæ lugentes sedebant, memoria repetentes pristinam felicitatem, & ad eam aspirantes: ita ad eum modum pio animi affectu, æternæ mansionis desiderio cupiunt viri sancti dissolvi his vinculis, & mente in caelestis Sion versantur, ubi nihil fluxum, nihil caducum, aut omnia stabilia, & æterna. S. August. in sentent. 122. Duas, ait, in mundo civitates faciunt duo amores: Hierusalem facit amor Dei: Babylone amor sæculi. Interroget se unusquisque, & sciet, cuius sit civis. Similiter D. Gregorius, Unusquisque hominum, ait, ad Hierusalem, aut Babylone est civis. Sicut namque per amorem Dei sanctus quisque Hierusalem civis efficitur: ita per amorem sæculi omnis iniquus in Babylone structura operatur: ac multa deinde habet in hunc sensum, exponens verum penultimum Psalmi quarti Penitentialis.

* Baccalaureus. Baccalaureatus.

QUIS DICENDUS, ET VOCIS ORIGO.

Baccalaureus est gradus in Academiis usitatus, estque velut primum doctrinæ testimonium, quod publicè alicui deferatur: ac velut per illum qui eruditè militat tyro adscribitur, estque gradus ad Licentiam, vel Magistrum, quæ nomine Laureæ vocantur: quòd sicut qui redditionis merito his gradibus decorantur, digni sint qui Laureæ coronentur, cuius baccam, hoc est, ramulculum dumtaxat, sive fragmentum, conceditur post inchoata aliquotique feliciter studia. Est enim Laurus Hieroglyphicum laboris, & sapientie; idcirco eam Apollini, & Musis sacram voluit Antiquitas.

Lk.

A Ludovicius Vives dial. 13. Baccalarium vocati vult id, ex veteri Gallico idiomate, qui hoc nomine vocant militem, qui jam semel plecto, quod ipsi vocant, la Baraille, interfuit, & manus cum hoste conferuit. Atque inde dicitur Lutetie hoc Titulo decoratos, qui in palestra litteraria publicè in aliqua disciplina disputant.

Sunt etiam qui Baccalarium scribunt, à pugnandi instrumento, sed imperitiss. Fortassis cum Sicambris non malè Baccalarium dixerit, à Bacche Germanico, quod nucleum significat; & Leere, doctrinam, quasi talis jam nucleum doctrinæ sibi comparare incipere.

Caelpinus existimat Baccalaureos dictos ex eo, quòd olim corolla ex lauri baccis eis imponeretur. Quod licet in desuetudinem abierit, mansit tamen dignitatis nomen, & titulus. Vide locum de Academia.

Bacchanalia.

Eorum usus apud Ethnicos.

Quære Diferum usus Chronologicus.

Bacchanalia facta, uberrimum apud cunctas fere gentes libidinis fœminarium fœre: quorum, ut testatur Herod. auctor fuit Melampus Amythaonis filius, primusque ad Grecos detulit ex Ægypto, ubi ea facta fieri cœpere. Fœminæ istarum cabales è nervis compactas, quibus ingens mentula in ventre extabat, per pagos, præventibus, circumferabant. Bacchiu canentes. In Parnasso monte Bacchanalia, quæ Grecis Dionysia dicuntur, alternis annis acta sunt magno cum hominum multo mero incalentium clamore, tum tympanorum crepitu. Haud ita multò post, Grecus quidam homo ignobilis, cuiusmodi factorum antistes, in Hæturiam venit, doguitur ritus: ex Hæturia ea maliabes mox Romam penetravit, ubi mirandum in modum morbi contagione maronatum pudicitiam cotrupit. Primò factarium fœminarium fuit, nec quilibet virorum admittatur: tres in anno statutos dies habebant, quibus interdum Bacchis initiarentur, sacerdotis inter se maronæ creabantur. Quum demum Paullina Minia Campana facta esset sacerdos, hæc omnia tanquam deorum monui immutavit: sanè viros & cum primis filios initiavit, nocturnumque sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus, quos in singulos menses dies initiorum sacros fecit. Tum promiscuè facta viri fœminis permisceri fecerit, ubi quum per noctis licentiam quidvis fœclerum unicuique edere liceret, nihil flagitii prætermitterebat: siquidem eò loci stupra pariter atque cædes redundabant, quando qui ad venerem pigrioris, aut delectoris minus patientes erant (nam postremo nemo major viginti annis initiabatur) morte afflictebantur: nec id multis cognitum: quum nulla vox querentium præ ululatu, tympanorum cymbalorumque strepitu exaudiri posset, & mortui ex conspectu illico in specus abderentur. Summæ religionis erat inter eos, viros, velut mente captos, corporis jactatione fanatici vaticinari, matronas Baccharum habitu crinibus passis cum facibus ardentibus discurrere, & mactatos dici à diis raptos. Verum ad extremum tantorum fœclerum indicio à Fœceni (de qua sub Tit. Meretricum) ad Sp. Posthumium Alinum, & Q. Marium Philippum Coss. delato, religio pestifera extincta est, anno Urbis condite DLXVIII. Polyd. lib. cap. 7. de Rerum invent.

* Apud Christianos.

Ufus, sive potius abusus Bacchanaliorum, etiam Christianis à Gentilium superstitioe traditus, apud eosdem adhuc perseverat, indigno sanè & nomine, & cultu, cum immediatè ante ante solenne illud quadragesimale jejuniu, quando beneficiorum caelestium, & Domineque Passionis memoria refectanda potius esset, celebrantur, idque nonnullis locis tanta cum dissolutione morum, & animum, ut vel Ethnicos ipsos superare videantur, aut certè cum isdem contendant, adeo le totos ingurgitant, ventri, & Veneti, turpibusque voluptatibus insensent, quasi triduo illo expleto, Veneti facta facturi essent, non Deo. Quod de Gallia testatur P. Bess. qui & ipse Gallus, Conc. in Domin. quing. Hodie, ait, in hac nostra Gallia, hoc ipso die, omnes propemodum Deo relicto, & templis, die lascivie & voluptatum, scelerata, & Circea mundi agmina sequuntur: & paulò post enumerat scandala, dissolutiones, lubricitates, & inter ea, quòd plateæ larvatis opteque, mensæ aleis, & chartis cooperte, aut lascivo cantu & tripudii reboantes, atque omnia vitiorum fœclera laxatis habentis prouertunt. Ita ille de Gallia, neque meliora dicitur de Italia, & nonnullis aliis Re-

L.B.T. heur. vit. Haman. Tom. 1.

gnis. Quæ sanè intemperantia hoc tempore potissimum præpostera est: quamvis urbana hilaritas à Christiano populo excludi non debeat, quæ Dei timorem conjunctum habeat: quomodo nihil melius in vita pronuntiat Ecclesiasticus, quam latari, & bene agere. Neque enim ut scribit Basilus, per temulentiam adius ad jejuniu, nec ad justitiam iter paratur per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciviam devenitur. Crapula & ebrietas ad lasciviam inducunt: ad jejuniu, & abstinentiam frugalitas. Homil. 1. de laud. Tejumi.

In statuam Bacchi, Dialogus Andreae Alciati:

Bacche pater, quis te mortali lumine movit,

Et doctæ effinxit quis tua membra manu?

Praxiteles, quis me rapientem Gnossida vidit,

Atque illo pinxit tempore qualis eram.

Cur juvenis, teneraque etiam lanigine vernat

Barba, quæsi Pylum cum superare senem?

Muneribus quandoque meis si parcere disces,

Junior, & facti pedore semper eris.

Tympana non manibus, capis non cornua defant:

Quos nisi demones talia signa decent?

Hoc doceo, nostro quod abusu munere sumit

Cornua, & infans mollia sistræ quatit.

Quid vult ille color membris pene igneus? omen

Absti, an humanis veris ipse sociis?

Cum Semeles de ventre parens me fulmine traxit

Iguomo, insectum pulverem misit aquis.

Hinc sapit hic, liquidus qui nos bene diluit undis:

Qui non ardenti erret ab igne jecur.

Sed nunc me doceas, qui vis misererit? & qua

Te sanus tuum pendere lege queat?

Quadrantem addat aque, calicem sumpsisse salerni

Qui cupit, hoc sumi pocula more jucat.

Stes intra, geminat: nam qui procedere tendit

Vltra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.

Res dura hæc, nimium sunt pendula guttura, dulce

Tu fluis, heu facile commoda nulla cadunt.

Bajuli, qui & Geruli.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Bajulus est qui onera propter mercedem defert humeris: Erat olim eorum frequentia in oppido Bajæ juxta finem Lucrinum, atque ab eo nomen accepisse vult Perotus. Alii & Bajæ, i. parvus, deducti nominis etymologiam auvant, quia minora sunt quæ bajulantur. Hebrai poel, i. operum, appellant Bajulum.

USUS, ET EXEMPLA.

Sunt qui servitutem natura, non instituto hominum ceptam arbitrantur. Sunt quædam nationes ad intervendum aliis nate. Tales apud veteres olim Ægyptii, & Syri: tales apud Lugdunenses hodie Sabaudii, apud Venetos Istri & Bergomates, apud Parisienses Britones, & Lemovices. Bartholomæo certè Coleono Bergomati, bellica fortitudine sua ætate duci clarissimo, cum Veneti equestrem statum in area DD. Joannis, & Pauli deauratam possiderent, noctu inimicorum quispian scopam dextræ indidit, collo sacum alligavit, ut his veluti armis bajulorum, patriam et exprobraret. Verum claret ille propria gloria: & quoad Venetorum res itabunt, semper forebit. Bern. Corus in hist. Mediol. Syri apud Rom. notissimi fuerunt bajuli. Hinc Sarraceni: Onera gestantur longa cervicè Syrorum. Ægyptii antiquitus ea objere munia, quæ nunc in Italia bajuli ex Longobardia plurimum propagati, quos Greci Baccalaros dicunt, hoc est, portantes, ac gerulos, quia oneribus vacent ferendis. Unde & baltarnas cubitorum quinquè nuncupabant. Apud Athen. Posidonius Aristoph. in Batrachis: Ad apud eorum, & vixit suo. Ois in et apud ad inuam Aliphan. Carrus impoquit duos, ac mortuos rotidem, Quas nec Ægyptii quidem tollerent centum.

Hinc sæpè in veteribus memoriis lectitamus, dici Ægyptios Baccalaros, id est, vecturas oneris corpore facitante suo: item in Arist. in Avib. in dædæpæ: quo verbo iis significatur, qui lateres gestant humeris, vel certè anaphoro adhibito, seu allacto. Erat verò eo nomine lignum utrinque cavum, quo gestarentur onera. Allacti dici putò à taliatione, quæ fieret à sagittatis de humero in humeri. Aliqui amphicyrti malunt

Aaa 4

